CONCLUSIONES EX THEOLOGIA AC PHILOSOPHIA SELECTÆ PRO SOLEMNIS DIUI…

Gerardo Capassi, Antonio Enrico Verzelli

Digitized by Google

Digitized by Google

Misc. 1060.3

Digitized by Google

1060
3

XXXIV
CAPAS.

1060-3

1060
3

CONCLVSIONES
EX THEOLOGIA
AC PHILOSOPHIA SELECTÆ
PRO SOLEMNIIS
DIVI DOMINICI
PROPVGNANDÆ

A F. HENRICO ANTONIO VERZELLI
Servita, in Conventu SS. ANNVNCIATÆ de Florentia

PRÆSIDE

P. MAGISTRO GERARDO CAPASSI
FLORENTINO
In eodem Cœnobio Studij Regente.

FLORENTIÆ, MDCLXXXVII.
Apud Petrum Matini, ſub Signo Leonis.
DE SVPERIORVM LICENTIA.

1872
Digitized by Google

1060-3

Digitized by Google

VERBO

DEI PATRIS ÆTERNI

CONSVBSTANTIALI FILIO,

PRO GENERIS HVMANI SALVTE

INCARNATO,

ECCLESIÆ CATHOLICÆ

SPONSO AMANTISSIMO

VERÆ FIDEI

DEFENSORI INVICTISSIMO,

DEI, HOMINVMQ; MEDIATORI

IESV CHRISTO

HAS THESES

Offert, ac dedicat

Mortalium indigniſſimus

F. GERARDVS CAPASSI SERVITA.

Digitized by Google

1060.9

Digitized by Google

THEOLOGICÆ THESES

POLEMICÆ; SCHOLASTICÆ; MORALES, & HISTORICÆ.

THEOLOGIA omnium quæ ſub Cœlo ſunt Doctrina præſtantiſſima ex principijs Fidei noſtræ deducta propriè Scientia eſt, ac omnium Sapientia facilè Princeps, eius ſtudium ſummis laudibus commendatum cuilibet Fideli à PP.; Eccleſiaſticis verò perſonis varijs Canonibus, ac præceptis iniunctum; ſine quo nec Iuris Iuſtinianæi Profeſſores perfectam poſſunt Iuriſprudentiæ peritiam adipiſci, nec Eccleſiæ Canonum, aut Pontificiorum Decretorum à ſuis ſtudioſis vel poteſt inchoari profeſſio; nec tandem ab Eccleſiæ ſacris Ordinibus adſtrictis ſalus vel Animę vix obtineri valet.

Ex triplici fonte ſuas eruit proprias dignitates & axiomata Theologia, nempe Verbo Dei ſcripto, traditionibus ſacris, & Conciliorum ſanctionibus, dicente Hilario, *A Deo diſcendum eſt quid de Deo intelligendum ſit, quia nonniſi ſe authore cognoſcitur*; Ex his enim tantum principijs argumenta deduci poſſunt, quæ hoc in genere apodictica meritò dicenda ſint, iuxtà id quod habet Plato in Timæo *Veritatem omnem uno duntaxat modo addiſci poſſe, ſi eam vel ab ipſo Deo, vel ab his qui à Deo ſunt edocti doceamur*; Cœtera verò ratiocinia vel PP. authoritatibus, vel lumine naturæ ſuffulta non ſupremam ſibi vindicant hoc in genere authoritatem.

Verbum Dei ſcriptum Libris veteris, ac novi Teſtamenti à Tridentina Synodo Seſſ. 4. relatis continetur, quorum etsi alij Protocanonici, alij Deuterocanonici ſint, tamen una, eademque omnium eſt authoritas; ex his alij Hebraicè, alij Chaldaicè, alij Syriacè, alij Græcè, & alij Latinè à ſuis Authoribus primò fuere conſcripti, ac deinceps poſteà in varias Linguas

Digitized by Google

guas tranſlati; Prima Lingua, quæ cum Mundo incæpit, Hebraica extitit, quæ non ab Heber initium deſumpſit, ſed denominationem tantummodò traxit. Huius Idiomatis Characteres, quibus de facto utuntur Hebræi, an omnium antiquiſſimi ſint non audemus aſſerere, his enim fortaſſe ab Eſdra inventis Samaritanos vetuſtiores eſſe defendimus. Punctuationes, quæ vocalium defectum ſuſque deque hebraicis conſonantibus inſcriptæ ſupplent, nequaquam ipſis coævæ ſunt; imò poſt Hieronymum, & Epiphanium adinventas fuiſſe non levi fundamento tenemus. Omnium ex Hebraicis Codicibus tranſlationum prima celebris illa fuit Ptholomæo Philadelpho Ægypti Rege annis ante Chriſti natalem ferme 300. in Pharo Inſula à 70. Senioribus, non in diverſis Cellulis, ut nuper P. Natalis ſtabilire conatur peracta; qua verſione nedum Libri Legis, verùm & Prophetarum Græcè fuere redditi, quos omnes Apoſtolorum uſus conſecravit; Sed etiam nunc temporis nec ea, quæ iuſſu Sixti V. fuit edita, ab omni menda eſt immunis. Syriaca Lingua, qua & Matthæus Evangelium ſuum, & Paulus ad Hebræos Epiſtolam exaravit, & Chriſtus inter homines converſatus, utpotè tunc temporis Syriæ vernacula locutus, ex Chaldaico, & Hebraico Idiomate, eo pacto ac noſtra Itala vulgaris ex Latina, & Gothica linguis commixtis ortum duxit, Babylonicæ captivitatis tempore. Targum Hieroſolymitanum, ſivè Chaldaicæ Paraphraſes multum afferunt utilitatis ad perfectam Hebraici Textus intelligentiam, ac ad noſtræ Fidei quammultos articulos explanandos, ut optimè in Biblia Polyglotta oſtendit Vvaltonus; at quoad earum antiquitatem Ioannis Morini ſententia nobis arridet, quinque ſaltem ſæculis poſt Chriſtum earum Authores vixiſſe, utpotè quæ Thalmudicis ſcatent nugis. Noſtra tandem Latina verſio Vulgata dicta, partim ex Hieronymiana, partim ex antiquiſſima illa ab Auguſtino Itala nuncupata coaluit, cuius authoritatem cœteris latinis traductionibus meritò decrevit Sacroſancta Tridentina Synodus præferendam.

Tenete (inquit Apoſt. 2. ad Theſſal. 2.) *traditiones, quas accepiſtis ſivè per ſermonem, ſivè per epiſtolam*, quare eiuſdem roboris, ac eodem cultu venerandum [quidquid dicant Rivetus, & Dallæus impudentiſſimi Hetherodoxi] tam Verbum Dei ſcriptum, quàm non ſcriptum Eccleſia amplectitur. Traditiones triplicis generis eſſe fatemur, Divinæ namque, Apoſtolicæ, & Eccleſiaſticæ, quarum quælibet eo in ordine authoritatem habet, ac leges ſcriptæ.

Concilia Generalia Pontificis Rom. approbatione ſuffulta infallibili pollent veracitate, nequaquam verò ſi ea careant; hinc omnia ferè Vniverſalia Concilia apud Græcos celebrata in ſuis condendis Canonibus à Sede Apoſtolica non approbatis à veritate deſciverunt, & non quoad decreta Fidei, utpotè Pontificio conſenſu munita. Synodus Sardicenſis, de qua noſtris temporibus maxima eſt in Eccleſia controverſia, nequaquam ſolius Occidentis eſt, ſed & Orientis meritòque in Concilio Cartaginenſi 4. Nicœna dicta.

I. Romano Pontifice Ius congregandi Synodos Vniverſales non penes Impe-

Imperatoriam dignitatem reſidet, imò & in ipſo unicè Fidei Catholicæ infallibilitas, ac regimen univerſale ei in Petro à Chriſto collatum, Luc. 22. *Rogavi pro te Petre, &c.* & Io: 21 *Paſce Oves meas*; & Math. 16. *Tu es Petrus, &c.* Quem ultimum Mathæi locum, licèt SS. PP. Arij tempore (ut ſolidè, ac eruditè Theologorum Princeps Card. Perronius animadvertit) de Confeſſione à Petro facta fuerint interpretati, tamen in ſenſu literali de Petri perſona ſumendum eſſe dicet quilibet, qui Auguſtini monitis parebit *Diſtingue tempora, & intelliges Scripturam*. Hac tamen Pontificis ampliſſima non obſtante authoritate cum novum Fidei articulum condere non poſſe cum Covarruvia, & alijs contrà Abbatem defendimus.

Romanus Pontifex nedùm totius Eccleſiæ caput eſt, verùm & omnium Regionum Occidentalium Patriarcha, & ad ſuum, non verò ad Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Patriarchatum, ut Photius Græcanici Schiſmatis Author cum Nicolao I. & Hadriano II. contendebat, Illyricum ſpectat. Ruffini locus de Suburbicarijs, licèt aliàs ob Authorem omninò contendendus eſſet, vel de Iure Patriarchico intelligendus eſt, quatenùs univerſæ Occidentis Eccleſiæ aliquo ſenſu Suburbicariæ dici poſſunt, ut fusè oſtendit contra Salmaſium Sirmondus, vel de Metropolitica quoad Epiſcoporum ordinationem authoritatem, ut Lupus.

In Concilio Conſtantienſi nequaquam fuiſſe definitam ſupra Pontificem Romanum Conciliorum authoritatem cum Doctiſſimo à Schelestrate defendimus; & cum Lupo Pontificis Romani privilegium circà omnium ſub Cœlo Fidelium ad Romanam eius Cathedram Appellationes.

DE DEO,

eiuſque Attributis.

DEVM eſſe etſi Fides ipſa non diceret, communis tamen in Natura informata notio, quam Græci πρόληψιν appellant per ſe ſe ipſa ſuaderet; rationes, quæ à Theologis ad eius exiſtentiam ſtabiliendam afferuntur, licèt nequaquam toto rigore demonſtrationes appellandæ ſint, tamen ſumma morali certitudine pollent; Cum Div. Athanaſius contra Gentes aſſerat *Deos eſſe multos, perinde eſſe, ac nullos eſſe; ac Principum Poliarchiam Anarchiam eſſe*, meritò ex divina exiſtentia eiuſdem unitas infertur.

Duplici via, duplicique methodo, ut innuit Dionyſius Areopagita ex his, quæ uſu quotidiano haurimus, Dei notitiam venamur. ſymbolica una, ſivè myſtica, altera plana & aperta; prima, qua tropis, & figuris; ſecunda, qua per proprietates, & Attributa Deum exprimere conamur, quæ ut Cyrillus Alexandrinus Dialog. 1. innuit bifariam ſunt, aientia alia, alia negantia; negativa aientibus præferenda eſſe, meliuſque dignoſci quid non

ſit;

ſit, quàm quid ſit Deus præter PP. & ipſe Rabbi Moſes Maiemonides in lib. More Nebochin oſtendit.

Inter laudatas divinæ naturæ negantes notiones prima radix cogitatione noſtra cœterarum, ac veluti divina Eſſentia, eſt eſſentialiter eſſe, vel ut Græcè dicam ὀντωδῶς iuxtà illud Exodi *Ego ſum qui ſum*, quod & Philo in lib. de Abraamo agnovit dum proprium Dei nomen ὁ ὤν eſſe dixit. Ex hoc fonte divina ſimplicitas emanat, qua Deus quamcumque compoſitionem, vel etiam ex genere, & differentia contextam excludit; & contrà Antropomorphitas Deum eſſe ἀσώματον, hoc eſt corporis expertem ſtatuimus. Ex eo quod Deus ſimplex ſit, divina oritur incommutabilitas, ut innuit Aug. 11. de Civit. Dei cap. 10. & hæc & ſecundùm contradicentia, & ſecundum contraria Deo competit, cum neque corrumpi, neque ab uno ad alterum tranſire ſtatum queat.

Æternitas duplici quodammodo negatione ſepta eſt, principij ſcilicet, & finis, quæ eleganter à Tertulliano adverſus Hermogenem Cenſus Dei appellatur, cum innatus ſit & infectus, & incorruptibilis omninò; quod innuit Apoſt. ad Hebr. 7. dum neque initium dierum, neque finem vitæ habere dixit; optimè definitur a Boetio Æternitas, quod ſit *Interminabilis vita tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*; quam conditionem & Plato & Plotinum ſecutus tetigit, qui in æternam ſubſtantiam transferentes partes illas temporis *erat* & *erit* redarguit, dicitque illi tantùm *eſt* competere. Nec huic Platonis placito illud Io: 1. *In principio erat Verbum* adverſatur, dicente Ambroſio lib. de Fide cap. 5. *Indeſinite tenditur erat, quicquid excogitaveris erat Filius*. Nemini à Deo vel competere poteſt præfata æternitas, dicente Baſilio adverſus Eunomium; *Eiuſdem inſania eſſe Creaturæ æternitatem adſcribere, ac Creaturæ Dominum auferre*.

Æternitatem comitatur Immenſitas, qua Deus nedum efficientia tantùm, ut Calvinianus Vorſtius intendit, ſed & ſubſtantia in omnibus eſt, ac omnia occupat, iuxtà illud Pythagoræ decretum, *Vnum eſſe Deum, & totum in Vniverſitate, & in toto circulo*; & illud Arati, *Plena eſſe Iovis omnia*; & quidem meritò, dicente Dionyſio cap. 1. de divinis Nominibus Deum eſſe circummundanum, ſupermundanum, & ſupercœleſtem.

Inter proprietates, quæ affirmantes dicuntur intelligentia Dei, ſivè ſcientia primo occurrit, quæ verè ſoli Deo competit, hæc habente Cyrillo *Divinitatis id eſſe proprium, ut nihil ignoret*. Divinæ ſcientiæ conditiones, quibus creatis omnibus antecellit quinque ſunt: prima quod neque qualitas, nec accidens aliquod ſubſtantiæ divinæ ſit adveniens, ſed ſit ipſamet Dei eſſentia; ſecunda, quòd ex rebus ipſis minimè hauriatur, cum omnia in ſe, & in natura ſua agnoſcat Deus; tertia, quod una, & ſimplex ſit, non verò multiplex; quarta, quòd nulli mutationi, & varietati ſit obnoxia; ultima tandem, quòd omnium rerum ſit cauſa, ex quibus infertur, Deum omnia & abſolutè, & ſub conditione futura agnoſcere, ut ille apud Virgilium, qui noverat.

Quæ ſunt, quæ fuerant, & quæ ventura ſequentur.

Nam

Nam confiteri, eſſe Deum, & negare præſcium futurorum apertiſſima inſania eſt, inquit Aug. hæc tamen futurorum ſcientia nequaquam læſiva eſt liberæ voluntatis motuum. In mente divina rerum omnium exemplaria primùm à Platone Idæas appellata reperiri quis neget? dicente Boetio

Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens ſimilique in imagine formans.

Divinam mentem ſequitur cum libertate voluntas, nam vult & quomodo vult, imò cum poſſit omnia quæ velit, & omnia velle poſſit, meritò voluntas eius omnipotens eſt; quæ omnipotentia optimè à ſacris Libris & in Verbo & in Spiritu Sancto paſſim collocatur.

Cum omne Ens bonum ſit, & ſolus Deus verè, & abſolutè ſit, ipſe ſolus verè & abſolutè bonus erit, imò cœtera ab eo habent quod bona ſint dicente Auguſtino de Trinit. cap. 3. *Bonum hoc & bonum illud, tolle hoc & tolle illud, vide ipſum bonum ſi potes, & Deum videbis non alio bono bonum, ſed omnis boni bonum*; ex quo inferes peccatum, utpotè malum nihil eſſe & conſequenter Deum non poſſe peccare.

Videmus nunc per ſpeculum in enigmate tunc autem faciæ ad faciem, ait Apoſt. Ex quibus verbis meritò Aug. ep. 2. Deum non corporis, ſed mentis oculis à BB. videri innuit; qui tamen Pater quoad poſſibilitatem viſionis corporeæ, cum varius ſit, & ſibi parum conſtans à nobis deſerendus eſt; *opus eſt enim intelligibilibus oculis ad ea percipienda*, inquit Theodoretus, *quæ ſola intelligentia capiuntur*; quare corpoream Dei Viſionem omninò reijcimus, imò nec animo eum comprehendi, ſed tantùm intelligi poſse aſſerimus, non quidem naturæ viribus, *ſed ſi noſtram imbecillitatem*, ut ait Epiphanius *vi ſua corroborare dignetur*; quod auxilium à Theologis Lumen Gloriæ appellatum nequaquam aliquid à Deo diſtinctum eſt, ſed Deus ipſe dicente Aug. *Tu es quippe lumen, in cuius lumine videbimus lumen, te ſcilicèt in te in ſplendore vultus tui quando te videbimus facie ad faciem.*

Maxima fuit Ioviniani inſania, teſte Hieronymo aſſerentis inter Ioannem & ultimum Pœnitentem nullam in patria fore diſtantiam, qui enim *parcè ſeminat, parcè & metet*, & conſequenter meritorum menſuræ menſura gloriæ correſpondet; cui tamen aſſerto minimè diſſonat Parabola de denario operarijs omnibus in vinea colenda inæquali labore functis æqualiter diſtributo.

Tam decem apud Hebræos Dei nomina, quàm apud Græcos Θεὸς, & apud Latinos Deus epithetica tantummodò ſunt, ac ſolùm aliquam Dei proprietatem exprimentia, Deus namq; natura innominabilis eſt, & ineffabilis. Nomen Dei tetragrammaton apud Hebræos ſuperſtitioſa Religione, ac puerili ſilentio cultum vanè ab ipſis ineffabile dicitur, ac eius radix ignota: nam ſicuti cœtera nominari ſine piaculo poteſt, eiuſque radix non eſt incognita.

Si non eſt Providentia, nec eſt Deus, inquit Damaſcenus, quæ in ordine gratiæ Prædeſtinatio dicitur, optimè ab Aug. definita, quod ſit *Præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur*. Prædeſtinationem ad gloriam non eſſe factam ex præviſis meritis luculenta

fuit Aug. ſententia, à cuius tamen doctrina valdè aliena eſt illa tam frequens ac vulgaris in Scholis reprobationis decantata diſtinctio in negativam & poſitivam, cum Aug. parvulos in ſola originali labe hac vita functos æternis addixerit ſupplicijs, quam ſententiam eſſe, & adhuc omninò fidei noſtræ conſonam, nec de eius veritate umquam Aug. hæſitaſſe ſolidè quidem, ac doctè Vir celebris P. Noris oſtendit, velit nolit in ſuis Opuſculis Requeſenius.

Licèt Aug. ſententia de prædeſtinatione antè præviſionem meritorum noſtra ætate communior ſit, tamen oppoſitam, ut ſacris paginis conformiorem, ac ſuffragijs cœterorum PP. qui Aug. præceſſere, & nonnullorum poſt ipſum munitam amplectimur.

DE TRINITATE.

ANte Verbi adventum Divinam Triadem in libris Platonis adumbratam invenio, ſed Ario magis quàm fidei noſtræ conformem; refert & nonnulla eadem Platonis labe inquinata Mercurij Triſmegiſti Poemander; at hoc nequaquam opus Mercurij eſſe, ſed alicuius Semichriſtiani poſt Apoſtolorum tempora Authoris non levia ſuadent indicia. Contra Trinitatis dogma Sabelliani, Samoſathenſes, & Ariani pugnarunt, cuius veritatis fundamentum præter quàm plura ſacræ Scripturæ loca nobis præbent, eam Spiritus Sanctus primò expreſſam voluit Anno Chriſti 325. in Synodo Nicœna, imò nec perfectè in præfata Synodo Trinitatis dogma fuit definitum; cum, ut ex Baſilio conſtat, Divinitas Spiritus Sancti Patri, Filioque conſubſtantialis non ante finem quarti ſœculi incępiſſet in tota Eccleſia publicè prædicari.

In hoc Trinitatis myſterio cum nihil ſit, quod lumini naturæ repugnet, nec ulla contradictoria reperiantur in eo, inventa ſcholaſtica ad ipſa ſalvanda, veluti Thomiſticam virtualem diſtinctionem, nec non Scoticam formalem ex natura rei, tamquam ſuperflua omninò reijcimus. Quinque notiones ſunt, at ex his quatuor à Græcis Scheticæ dictæ, à nobis relativæ, tres verò hypoſtaticæ, ſeù perſonales nuncupatæ; quare quartam ſubſiſtentiam refutamus.

Filius à Patre ſolo eſt; Spiritus verò Sanctus ab utroque procedit. Primus quatenus imago genitus: alter quoniam amor eſt ſpiratus. Non ab Eccleſia Romana, ut Græci contendunt primò fuit de Spiritu Sancto, quod & ex Filio procedat, Conſtantinopolitano Symbolo facta additio; ſed in Toletana prima contrà Bellarminum, & Cabaſſutium peractam fuiſſe, ac ab Eccleſia Romana nonniſi poſt octavum ſœculum receptam cum Emin. Card. Aguirre defendimus.

Apoſtolicum Symbolum verum Apoſtolorum opus eſſe contra Gerardum Voſſium tuemur; Conſtantinopolitanum primò in Eccleſia Antio-

chena,

chena, ac deindè per cœteras Græciæ Eccleſias in Miſſarum ſolemnijs fuiſſe decantatum: apud Occidentales verò primò in Hiſpania Recaredi Regis tempore, Romæ verò poſt Ioannem octavum tantùm ſuſtinemus. Symbolum, quod ſub nomine Athanaſij circumfertur, an verè Athanaſij ſit nedum dubitamus, verùm & negativam partem ut probabiliorem amplectimur.

DE SACRAMENTIS
in genere.

SAcramenti Nomen licèt ex primæva ſui inſtitutione, vel quoddam depoſiti genus ſacro cedendum ærario, vel iuramentum, quo milites Principi oppignorabantur in fidem ſignificaſſet, tamen erudita analogia, quod apud Græcos *μυςηριον*, apud Latinos Sacramentum dicitur. Myſterium non ſemper rem arcanam, ſed & rei arcanæ ſignum in ſacris paginis ſignificat, quare nomen hoc non *αγραφον* eſt, ut Lutherani, & Calviniſtæ contendunt.

Quilibet humanæ naturæ ſtatus ſua habuit Sacramenta, hoc tamen diſcrimine quod ante Chriſti adventum legalem dumtaxàt & externam ſanctitatem; poſt verò, etiam internam contulerunt; quare Sacramenta novæ Legis ſic definienda puto; *Signa ſenſibilia, quæ veram animæ ſanctitatem conferunt*.

Sacramenta novæ Legis omnia à Chriſto Domino tamquam præclariſſimi, ac divini canales gratiæ fuere inſtituta, eamque gratiam conferunt ex *opere operato*, quem loquendi modum licèt ut regulis Grammaticæ diſſonum ſubſannent Hæretici, ac Priſciani ſcuticæ ſubijciant; tamen à SS. PP. edocti omninò retinendum eſſe cenſemus. Res, verba, & intentio Miniſtri Sacramenta conficiunt; an verò intentionis defectum ſuppleat Eccleſia; ex eo quod Lutheranos, & Calviniſtas ad fidem converſos, nec ſub conditione rebaptizet, parti affirmativæ adhæremus. Cum omnium ſingulorum Sacramentorum materiæ, & formæ nequaquam fuerint à Chriſto determinatè inſtitutæ, penès Eccleſiam eas determinandi, ac immutandi authoritatem eſſe cenſemus.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

AB Orbe ob Adæ culpam lapſo ad Spiritus Sancti in Chriſti Diſcipulos deſcenſum humana natura originali labe inquinata, non omni remedio ad detergendam maculam fuit deſtituta, ſed illam adulti contritionis ope, infantes verò parentum fide, vel eorum quibus erant in cura, expiabant. Circumciſio populo Iudaico ut purum putum ſymbolum, ac diſcre-

tiva à cęteris gentibus teſſera fuit in Abraami ſtirpe demandata, non tamen uŧ uſque in Mundi finem eius obſervantia vigeret; quemadmodum Iudæorum cœcitas cervicosè contendit; cum vox Hebraica *holam*, etsi cum litera Vau deſcripta non ſemper veram, ac propriam æternitatem importet, in quo & ipſe Hieronymus lapſus eſt; ſed Chriſti morte una cum cęteris legalibus prognoſticis eſt exufflata, dicente Apoſtolo ad Gal. 5. *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*. Sinat ergo Iudæus, vel Horatiano dicterio Sat. 5. *apellam*; vel Martialis dicacitate l. 7. *recutitum* irriſoriè notari.

Naſcimur filij iræ, at Baptiſmate regeneramur ad gratiam: quod primùm in Chriſto in Iordane à Ioanne baptizato fuit adumbratum; Nicodemo verò cęteriſque diſcipulis paſſim deinceps declaratum, ac tandem poſt ſolemnem fidei promulgationem ſub omni neceſſitate ad ſalutem præceptum. Aquæ defectum & flamen & ſanguis ſupplere valent, hoc diſcrimine tamen, quod fluviale baptiſma ex opere operato, iſta verò ex opere operantis gratiam impertiuntur, dicente D. Io. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm ut quis ponat Animam ſuam pro amicis ſuis*; & illa non tamen ex Ezechiele tantùm, ut falsò multi ex Theologis cenſent, ſed partim ex Ezechiele, partim ex Iſaia iuxtà 70. Seniorum editionem, ut primò à Blondello acutè obſervatum eſt conflata ſententia, *Quotieſcumque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*.

Per integram ſæculorum Chriſti decadem uno, eodemque die adultos æquè, ac infantes triplici Sacramento ſanctificavit Eccleſia: ſacro namque Baptiſmate tinxit, confirmatoria manuum impoſitione munivit, & ſacroſancta Corporis & Sanguinis Chriſti alimonia cibavit: quæ munera in adultis multigena præceſſit Cathecheſis: apud Græcos tamen multiplicior, quàm Latinos; illis enim ſex fuere Cathecumenorum ſtationes, Chriſtiani, Audientes, Cathecumeni, Initiati, Competentes, Electi; Latinis verò, ut plurimùm duo tantùm fuere, Audientes ſcilicèt, & Genuflectentes. Mos baptizatis lac & mel, aut vinum, mulſum veluti delibandum exhibendi non apud Occidentales tantùm, ut malè ex Hieronymo infert Bellarminus, verùm & in Oriente Alexandrinæ, & Ægyptiacæ Eccleſijs fuit in uſu.

Ritus trinæ immerſionis quot lites in Hiſpania excitarit, conſtat; undè meritò Adiaphorus à Gregorio decretus eſt: quare licèt illum retinere poſſit, imò & retineat Græcorum Eccleſia, tamen inſciè, ac petulanter Latinorum Baptiſma ut invalidum, quòd trinam immerſionem illam omittant in Florentina Synodo, Marcus Epheſiorum Metropolita exufflare tentavit. Olim in Civitate ſolus baptizabat Epiſcopus, & licèt ſecundùm communiorem Eccleſiæ diſciplinam Paſchatis, & Pentecoſtis dies ſolemni baptiſmo dumtaxàt eſſent deſtinati, tamen ſecundùm quarumdam Eccleſiarum uſum etiam diebus Epiphaniæ, Natalis Domini, & Nativitatis Io: Baptiſtæ ſolemniter fuiſſe collatum contra P. Nicolai cum Launoio defendimus. Conſtantinum Magnum bis baptizatum fuiſſe, Romæ primùm, deindè Nicomediæ cum doctiſſimo à Schelestrate ſuſtinemus.

DE

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

EX verbis Lucæ Actorum 8. & 19. relatis meritò contrà Dalleum verboſiſſimum Calviniſtam evincimus; apoſtolicam illam Chirotheſiam non ſimplicem Baptiſmi ritum, ſed verum ac proprium Sacramentum eſſe. Quod autem ex prælaudatis locis, non ſuppoſita huius Sacramenti ad ſalutem neceſſitate, ut de facto nequaquam ſupponitur, certitudine inferatur eadem hanc ſacramentariam manuum impoſitionem, non ſpeciale fuiſſe Apoſtolis donum collatum, ſed toti Eccleſiæ ſucceſſive communicandum, negare non dubito; quare aſſerendum erit, Confirmationis Sacramentum Apoſtolos exercuiſſe, ex ſacra Scriptura planè deduci; at penès Eccleſiam eamdem poteſtatem eſſe ex traditionibus haberi.

An ſola manus impoſitio ut Sirmondus, vel ſola Chriſmatis delibatio ut Bellarminus, vel utrumque ſimul ut P. Natalis fuerint huius Sacramenti materia abſolutè neceſſaria, undique ulcus eſt; P. Natalis tamen ut magis probabile aſſertum placet, hoc tamen pacto, ut Chirotheſiæ neceſſitas ex verbo Dei ſcripto. Chriſmatis verò unctio ex Eccleſię depoſito, ſeù verbo Dei tradito tantummodò poſſit probari; quæ duo etsi à primitiva Eccleſia duplici actione fuere poſita, ab octavo tamen ſęculo in unam, eamdemque actionem contracta ſunt.

Balſamum non eſſe neceſſarium neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti Eccleſiaſtici, ut probabilius defendimus, cum Chriſma aliquando pro pura Olei unctione à PP. uſurpetur. Sicut olim Chriſtianis cum porrigeretur communio ad excitandam ſuſcipientium fidem pręmittebantur illa verba *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti*, qui propterea ſubiungebant *Amen*, ita & ad fovendam recipientium pietatem apud Græcos in Confirmatione verba illa dicebantur *Signaculum doni Spiritus Sancti*. Quare fędè hallucinantur, qui hęc verba apud Gręcos Confirmationis formam extitiſſe putant. Forma namq; ut ex omnibus Euchologijs tàm Græcanicæ, quàm Latinæ Eccleſiæ conſtat, oratio fuit deprecatoria, ac Spiritus Sancti invocatoria, undè illa à Latinis uſitata *Conſigno te ſigno Crucis, &c.* ſolùm præcepto Eccleſiaſtico eſt demandata.

Vſque ad quartum noſtræ Salutis ſęculum unica in uſu fuit Chriſmatis Epiſcopalis unctio, cui deindè præsbyterialis altera fuit adnexa, & forſan à Silveſtro Papa: hæc verticem, illa frontem ungit, prima purus Baptiſmi ritus eſt, & à Præsbyteris legitimè exhibetur, altera ſacramentalis, & à ſolis Epiſcopis, velut ordinarijs miniſtris divina lege exercetur: illa ad arbitrium Eccleſiæ reiterabilis eſt, hæc ſemel in uita utpotè Characteriſtica eſt conferenda; hinc mirari ſubeſt viros eruditos ac doctos Io. Morinum, & Antonium Auguſtinum dixiſſe Hæreticis ad fidem converſis manum confirmatoriam ab Eccleſia iterùm impoſitam fuiſſe: manus namque illa merè pœnitentialis ac reconciliatoria erat, ut doctè Lupus advertit, &

apud

Digitized by Google

apud Latinos ſicca, apud Græcos uncta extitit, qui mos deindè Græcorum unctam ſcilicèt manum hæreticis] admovendi à Gothis in Hiſpaniam, & Gallias illatus diù in illis Provincijs invaluit.

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

OMNIa Calvini ac Lutheri circa hoc Sacramentum deliramenta hoc unico placet confodere aſſerto: Verba Chriſti *Hoc eſt Corpus meum* propriè, & literaliter, non myſticè & figuratè ſemper Eccleſiam interpretratam fuiſſe. Quod ſi penès primitivæ Eccleſiæ PP. raro vel numquam nomen Tranſubſtantiationis Latinum, aut μετουσίωσις Græcum inveniatur; aut typi, ſymboli, figuræ, &c. multa ſit facta mentio, non aliundè hoc vel altum ſilentium, vel hunc loquendi modum repetendum eſſe percenſemus, quàm ex diſciplina arcani eruditè à Schelestrate contrà Tentzelium propugnata, quàm & nos ſex integris primis viguiſſe ſęculis cum eodem affirmamus.

An uſus Azimi in paranda Dominica Cęna apud Latinos olim indifferens fuerit; magna extitit inter Sirmondum, & Card. Bona ex una, & Chriſtianum Lupum & Ioannem Mabillonium ex altera contentio; placet Mabillonij, ac Lupi opinio, ac eam tuendam aſſuminius. Panem, & vinum à Sacerdote ſacrificandum quemlibet olim fidelem obtuliſſe; at circà milleſimum Chriſti Annum vice illorum nummos offerri incæpiſſe dicimus, quæ variatio fuit & cauſa cur conſecratæ particulæ in nummi formam fuerint redactæ, ac nummulariæ dictæ.

Laicis communicantibus Euchariſtia olim dabatur in manus, at fęminæ nitidis linteolis, ſeù Dominicalibus eam excipiebant; quem morem cum communione domeſtica extinctum putamus, in qua quilibet ſibi domi miniſtrabat, quòd nequaquam in Eccleſia permiſſum erat. Communio apud PP. & Concilia quatruplex extitit Epiſcopalis, Clericalis, Laica, & Pegrina: non tamen ſemper communionis nomine Euchariſtia ſignificatur. Communio ſub utraque utpotè adiaphora iure ad Eccleſiæ diſpoſitionem ſpectat, imò olim ſuſcipientium arbitrio ſuberat. Neminem antiqua Eccleſia ab oblatione excluſum communicabat. Item duplex in die quandoque à Laicis communio fiebat matutina una, veſpertina altera, prima nonniſi à ieiunis, ſecunda & à pranſis cœnatiſque ſumebatur; hanc tamen ſecundam Epiſcopi abſtulerunt dum primò per totum Annum dumtaxat in Cœna Domini retinendam conceſſere, ac tandem meritò hanc etiam exufflarunt.

Miſſa idem ac miſſio: Duplex extitit Cathecumenorum, & Fidelium, in hac ſecunda quicquid oblatrant Calviniſtæ verum ac incruentum Deo Sacrificium offertur, quod in Conſecratione conſiſtit. Errant qui Miſſam ſiccam cum præſanctificatorum Miſſa confundunt, illa omninò deteſtanda, hæc verò Græcis per totam Quadrageſimam, die tamen Dominico & Sabbatho,

Digitized by Google

tho exceptis: Latinis verò ſolà feria ſexta Paraſceves ac Sabbatho Sancto in uſu fuit; nam Miſſa, quæ Sabbathi ſancti mane modò apud nos celebratur Florentinæ Synodi tempore noctis medullio peragebatur. Sacrificium non unicè Sacerdos, ſed & cum Sacerdote populus offert. Miſsam tam pro vivis, quàm pro defunctis offerre ſemper in Eccleſia licuit.

Cum ferè omnes Eccleſiæ Patres uſquè ad Chriſti ſeculum 12. nullam accidentium phyſicorum, ſed ſpecierum dumtaxàt in Euchariſtia mentionem faciant: imò cum Aug. l. 2. ſolil. cap. 12. habeat *Cui poſſe fieri videatur, ut id quod in ſubiecto eſt maneat ipſo intereunte ſubiecto? monſtruoſum enim & à veritate alieniſſimum eſt, ut id quod non eſſet, niſi in ipſo eſſet, etiam cum ipſum non fuerit poſſit eſſe.* Quæ verba licèt laudatus Pater nequaquam de Euchariſtia determinatè diſſerens fuerit locutus, tamen ſui temporis mentem ſatis oſtendunt. Quare melius hoc altiſſimum Euchariſtiæ myſterium iuxtà Sanctorum Patrum placita abſque accidentibus à Peripateticis ſcholis explicatis defendendum ſuſcipimus, imò ſtante divina Tranſubſtantiatione, ac ſpecierum panis, & vini in Sacramento permanentia, Hærericorum cavillationes contra hoc myſterium à ratione deductæ Platonicis magis, quàm Peripateticis principijs faciliùs evertuntur.

DE CONFESSIONE SACRAMENTALI.

HÆretici ut noſtram Confeſſionem irriſoriam reddant, auricularem intitulant, hocce epithetico ſcommate ſubſannant, ut præ cęteris Schrevelius, & Dallæus; quare inconſultum putamus has Theſes eodem afficere titulo; Imò etſi ante nuper natas hæreſes hoc licitum extitiſſet, nequaquam poſt tamen id aſſerendum defendimus à SS. PP. edocti, qui Triſag o adiectiorem illam *Deus eſt crucifixus* ante Euthichetem ut laudabilem admiſerunt, poſt ipſum tamen omninò proſcripſere; itemque poſt Neſtorium tantummodò, hanc propoſitionem *Deus aſſumpſit hominem* fuere abominati dicente Hieronymo *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis.*

Licèt ex Chriſti verbis Math. 16. *Quodcumque ligaveris, &c.* & Io. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* apertiſſi nè inferatur inter Eccleſiæ privilegia à Chriſto conceſſa penès eam remittendorum peccatorum facultatem eſſe, negamus tamen ex hac Eccleſiæ auctoritate clariſſimè deduci (ut multi cenſent) Confeſſionis Sacramentalis neceſſitatem poſt Baptiſmum lapſis divino iure fuiſſe impoſitam, imò nec Trident. Synod. ſeſſ. 14. cap. 5. ex hoc tantùm præciſè deduxit, ut ijdem credunt, verba ac mentem Concilij non accuratè attendentes, nam præfata Synodus confitendi neceſſitatem non præciſè ex illis Chriſti verbis deducit, ſed ex eo illam colligit, quod Eccleſia univerſa ſemper intellexit inſtitutam fuiſſe illis Chriſti verbis omnibus lapſis confitendi neceſſitatem. Quare Confeſſionis præceptum non ex ſolo verbo Dei ſcripto, ſed & ex hoc, & ex huius numquam variata Ec-

clesiæ

cleſiæ intelligentia inferri dicimus: & conſequenter authoritatem remittendi peccata ex ſacris paginis, neceſſitatem verò confitendi ex eadem Sacra Scriptura remotè, & ex Eccleſiæ traditione proximè colligendam ſtatuimus.

Errant qui putant Montaniſtas ac Novatianos ſola quæ nobis venialia dicuntur, nequaquam verò mortalia ut irremiſſibilia dogmatizaſſe; Montaniſtæ namque non ſolum Idololatriam, ut malè Ioannes Morinus putat, ſed & Mæchiam & Homicidium ut crimina ab Eccleſia irremiſſibilia dixere, cœtera verò omnia ſub pœnitentiam cadere non negabant; quod pariter & Novatus præſtitit, qui & alia pauca adiunxit, cętera verò pœnitentiæ ſubiecit; quæ licèt mortalia & capitalia revera eſſent, tamen venialia dicebat; quia eorum veniam per Eccleſiam conſequi poſſe non negabat.

Diſtinctio pęnitentium in quatuor gradus ſtationeſque, ſcilicèt, in Fletum, Auditionem, Proſtrationem, & Conſiſtentiam, cui ultimæ nequaquam, ut Calviniſtæ, & Lutherani contendunt, ab omni pœna competebat immunitas; nam & in eorum domo Miſſa celebrari nequibat, & euchariſticis Eccleſiæ orationibus, verum ſine oblatione, per aliquod tempus intererant, quo tandem tempore expleto ad Metexin, hoc eſt, ad Euchariſtiæ participationem admittebantur: hæc diſtinctio, inquam, planè & plenè non ſemper in Eccleſia fuit, ſed paulatim ac ſenſim per varios PP. Canones introducta, tandem initio 4. ſęculi fuit ad perfectionem redacta, ut Albaſpineus & Petavius eruditiſſimè probant. Quare errant qui hos omnes pœnitentium gradus ex antiquiſſima eccleſiaſtica diſciplina eſſe cenſent.

Erraat qui peccata omnia occulta, ac item qui omnia publica indiſcriminatim mortalia publicæ ex præcepto Eccleſiæ pœnitentiæ ob abſolutionem conſequendam neceſſariò fuiſſe ſubiecta dicunt. Nam licèt de nonnullis publicis hoc verum ſit, tamen cætera publica, & occulta ex arbitrio vel Epiſcopi vel pœnitentis ſub publicam Exomologeſin cadebant. Forma huius Sacramenti utpotè à Chriſto non determinata varijs temporibus fuit varia, primis namque ſęculis deprecatoria fuit, ac per impetrationis modum; nunc verò abſolutoria eſt & iudiciaria; apud tamen Latinos; nam apud Græcos deprecatoria eſt, ut benè probat Arcudius.

Confeſſio non tota Sacramenti Pœnitentiæ materia eſt, ſed eam comitantur & ſatisfactio, & attritio. Attritio ut dolorem ſignificat præcisè ex ſolo gehennæ metu conceptum ad Sacramentalem Confeſſionem omninò inſufficiens eſt ut docet ex Auguſtino Lupus dicente Ep. 144. *Inaniter putat victorem ſe eſſe peccati qui pœnæ timore non peccat, quia etsi foris non impletur negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala Cupiditas intus eſt hoſtis; & quis coram Deo innocens invenitur qui vult fieri quod vetatur ſi ſubtrahas quod timetur?* Hæc Aug. cui & adhęſit Doctor Sorbonicus Launoius. Imo cum præfato Lupo defendimus nomen Attritionis pro ſolo gehennæ metu primum uſurpari cæpiſse à Melchiore Cano, aut Henrico Salmaticenſi quicquid in contrarium dicat P. Requeſenius Opuſc. 2. diſp. 1. ſect. 2. Quare attritio ad hoc ut verè Sacramentalis ſit, ex amore benevolentiæ erga Deum ſaltem inchoato procedere debet.

DE

DE EXTREMA VNCTIONE.

VNCTIO illa qua .6. Marci Apoſtoli curarunt ægrotos nequaquam ſacramentalis fuit, ſed tantummodò poſt reſurrectionem à Chriſto ad Sacramenti dignitatem fuit elevata, ut ex Iacobi 5. colligitur; cuius materia ſimplex oleum eſt, forma verò utpotè non à Chriſto determinatè conſtituta, ſunt preces, ſeù illa verba quæ ex Eccleſiæ determinatione ſunt vel fuere ſtabilita. Hoc Sacramentum nonnulli Monaci antiquitùs credidere irreplicabile eſſe, male tamen, nullum quippè Caracterem imprimit.

DE SACRIS ORDINIBVS.

AN ordines quos actu modò confert Chriſti Eccleſia, omnes & primitivam contuliſſe valde eſt dubitandum, nam non omnes ab Apoſtolica inſtitutione originem deſumpſiſſe, multa ſunt quæ probant argumenta; apud Græcos ex Ordinibus minoribus nonniſi Lectores extitere; imò & apud Recentiores idem obſervatur; Epiſcopatum, Presbyteratum, ac Diaconatum eſſe ſacramenta ſtatuimus; licèt de Diaconatu ratio a Bellarmino allata ex manuum impoſitione deducta à nobis non probetur; nam ex illa & Diaconiſſarum ordinem Sacramentum extitiſſe quis poſſet inferre. An Subdiaconatus ſacramentum ſit valdè dubitamus, immò cum Eccleſia de ipſo, non ſicut de præfatis tribus ordinibus ſæpè diſpoſuerit, nec ſemper ut ſacrum ordinem agnoverit, anſam præbet negativæ parti adhærendi.

Materiam Presbyteratus ac Diaconatus manuum impoſitionem ſemper extitiſſe ſicut, & Epiſcopatus, nequaquam verò Evangeliorum Codicem ac alia huiuſmodi Inſtrumenta defendimus. Non eſſe de neceſſitate Sacramenti Epiſcopum à tribus Epiſcopis ordinari debere, antiquiſſima ſuadent exempla. Corepiſcopi qui aliàs caractere Epiſcopali non eſſent inſigniti poterant & Subdiaconatum cæteroſque Minores conferre.

Cardinales primo à Cardinatione vel Incardinatione dicti ſunt, quatenus Sacerdotes & Diaconi officio alicuius Eccleſiæ adminiſtrando affigebantur veluti & incardinabantur; qui dignitate & prærogativis Epiſcopis erant inferiores, undè nullum Epiſcopum in Cardinalem Diaconum aut Præsbiterum tunc fuiſſe electum reperiri tuemur. Dignitas ampliſſima qua actu pollent S. R. E. Cardinales, ita ut & Patriarcharum iura tranſcendant, primò ſeptem Epiſcopis Cardinalibus collata, tantummodò duodecimo noſtræ ſalutis ſæculo ad cæteros Cardinales Diaconos, ac Presbyteros fuit extenſa; quæ privilegia ac dignitates iure à Pontifice Romano, ac non ſine vetuſto fundamento fuiſſe conceſſa, contrà Hæreticos noſtræ ætatis propugnare intendimus.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

COncubinas aliàs focarias dictas, & iure naturæ, & divino, & canonico ſemper fuiſſe vetitas cum Gonzalez ſuſtinemus. Matrimonium à Deo inſtitutum veteris Legis Sacramentum fuit, deindè elevatum in ſtatu gratiæ ad internam gratiæ ſanctitatem conſerendam à Chriſto Domino. De matrimonij validitate legum condendarum ius ſemper exercuit Eccleſia; quare meritò matrimonia clandeſtina anteà valida Trid. Syn. irritavit. Coniugium fidelis cum infideli etsi illicitum, non tamen ſemper irritum Eccleſia habuit; quin verò non ex ullo canone, ſed ex pia conſuetudine tantùm apud omnem Eccleſiam Latinam iampridem irritum eſse cępit, ex quo huiuſmodi connubia ineundi infrequens fuit occaſio; cum Hebręis tamen ſemper Hiſpana Eccleſia abolevit. Cum Hæreticis matrimonia, Græca tantùm, non verò Latina invalida cenſuit Eccleſia.

DE CANTV ECCLESIASTICO.

DIvinas modulari laudes non Martyr Ignatius Antiochiæ in Syria tertius à Petro Apoſtolò Epiſcopus Eccleſiam edocuit, ut quidam ex Socratis Hiſtoria perperam inferri putant, ſed Chriſtus ipſe: cuius laudabilis inſtituti & pręcepta & exempla reliquiſſe cum Auguſtino in literis ad Ianuarium defendimus.

Alterna vice Choro in duas partes diſcreto ſub laudato Ignatio Antiochena Eccleſia hymnos primo canere cępit, quod & deinde circà pſalmos à Flaviano & Diodoro eiuſdem Eccleſiæ Presbyteris factum eſt. Hic canendi modus ex Antiochia per cœteras Orientis Eccleſias evagatus, tandem in Occidente Divo Ambroſio authore Mediolanenſem primò exornavit, deincepſque Romanam.

Quanta ſit cantus Eccleſiaſtici utilitas vel ex ipſa Auguſtini Converſione deprehenditur: quare Religiones cum hoc onere Pſalmodiæ canendæ inſtitutæ magis vitam redolent apoſtolicam, ac primitivæ Eccleſiæ ſunt conformiores.

Forma canendi à PP. Capuccinis uſitata, non recens noſtri temporis inventum, ſed in Patriarchali Eccleſia Alexandrina à D. Athanaſio fuiſſe introductam non ſine fundamento ſuſtinemus.

Cantus Muſicus cuius [proh dolor!] exercendi gratia emaſculantur infantes non ſine gravi divinarum humanarumque legum læſione, omnibus antiquis Eccleſiæ PP. ut Theatralis magis, quàm Eccleſiaſticæ gravitati conſonus ſemper fuit exoſus: quare meritò à divino cultu eliminandum Tridentina decrevit Synodus, cumque ſi permittit nullimodè tamen approbat Eccleſia præſens.

Digitized by Google

Qui laſcivientibus hiſce cantilenis magis quàm verbis aures veluti æſtaticas præbent, vel hac ſolùm de cauſa Eccleſias adeunt, templum Dei prophanant ac ſeipſos inquinant.

Novos hymnos novoſque pſalmos in publicis Eccleſiæ precibus canendos componere, vel compoſitos approbare munus olim erat Epiſcopi, at cum ius hoc in nonnullis abuſum pepererit meritò primùm Synodorum, deinde Romanæ Eccleſiæ iudicio huiuſmodi precum approbationem reſervavit Eccleſiaſtia: Quare laudes illæ quæ Academiarum more in Dei vel Sancti alicuius honorem modulantur, niſi fuerint ex verbo Dei, vel ex precibus aliàs ab Eccleſia approbatis excerptæ non omninò licitæ ſunt.

Qui ad laudes divinas perſolvendas ex antiquiſſimo Eccleſiæ inſtituto ſunt adſtricti, longius quàm fas eſt à veritate aberrant, ſi animo ac mente conſcienter aliò evagatis ſuo credunt muneri ſatisfeciſſe.

DIALECTICÆ SYNOPSIS.

MENTIS functiones, Idea, Propoſitio, & Ratiocinatio: omnes tamquam proprium obiectum contemplatur Logica; cuius finis externus; & ultimus veritas; internus verò prædictæ mentis functiones benè inſtitutæ. Logica docens eſt ab omni materia avulſa; Vtens verò eſt cum materia coniuncta; Prima purè ſpeculativa eſt, & ſcientia; Secunda practica, & ars; utraque utilis, neutra ad alias ſcientias neceſſaria. Vniverſale unitatem formalem importans nomen eſt, & ens rationis: ſimilitudinem verò dicens inter inferiora, ens reale; primo modo acceptum per præciſionem fit, & per comparationem deſtruitur; ſecundo modo ſumptum non fit, ſed per actum comparativum cognoſcitur. Iſagoges Porphyriana aut ſuperflua eſt, aut ſi ad cathegorias neceſſaria, Ariſtoteles in re neceſſaria defecit. Quinarius Prædicabilium numerus, & Ariſtoteli primo Top. cap. 3. adverſatur, & eſt omninò arbitrarius, undè vel diminui, vel augeri eodem poteſt arbitrio, undè placet nobis, omnia ad unum contrahere, & hoc Genus, Speciebus, Differentijs Propio, & Accidente à ratione prædicabilium refutatis. Denariam Cathegoriarum ſeriem vel defectuoſam, vel ſuperfluam, & conſequenter contra bonæ diviſionis leges, nec non ex falſo ſuppoſito allatam eſſe dicimus. Quicquid productum à Deo eſt, Subſtantia eſt; Accidentia verò non entia ſed modi entium ſunt, ſola ratione à ſubſtantia diſtincti: hinc aſſerimus unicum eſſe Prædicamentum, & hoc Subſtantia. Veritas formalis eſt cum Obiecto conformitas actus, undè ex obiecto & actu conflatur. Veritatis criterium nec ſola ratio, nec ſolum ſenſuum miniſterium, ſed utrumque ſimul. Actus verus nec in falſum, nec falſus in verum eſt convertibilis. De rebus contingentibus vel veritas, vel falſitas determinatè datur. Scientiæ an dentur, non evidens, ſed probabile eſt; ſed datis, cum fide, & opinione con-

for-

ſortium non reſpuunt. Ariſtotelei libri de interpretatione de Cathegorijs, Analyticorum, & Topicorum dubiæ fidei ſunt, an verè ſint Ariſtotelici.

PHYSICÆ SYLLOGE.

OBIECTVM Phyſicæ Corpus, quod eſt ſubſtantia mole affecta. Corporum alia conſtitutiva, & ſimplicia; alia conſtituta, & concreata ſunt; conſtitutiva Athomi ſubſtantialiter homogeneæ; hæ ſemina rerum, primordia, ac elementa, quatenus neque ex ſe, neque ex alijs, ſed ex ipſis omnia; nec non compoſitione primæ, & reſolutione ultimæ ſunt. Magnitudo, Figura, motus Athomis à Deo indita ſunt: motu æquè veloces; magnitudine fortaſſe æquales; figura verò ſunt diverſæ, hinc aliæ rotundæ, aliæ cubicæ, aliæ cylindricæ, aliæ pyramidales, aliæ ellipticæ, trapeziæ, & hepthaedricæ, turbinatæ; gibbæ, oblongæ, hamatæ, hiſpidæ, læves, & alterius poſſunt eſſe figuræ. Corpora concreta ex his athomis coaleſcunt, & in harum ordinis, ſitus, figuræ, & motus diverſitate illorum diverſitas deſſumitur.

Corpus denſum eſt illud, quod multum materiæ obtinens pauca intra ſe admittentis ſpatiola parum occupat loci. Rarum quod parum obtinens materiæ interceptione ſpatiolorum inanium multum loci occupat. Subtile, cuius athomi aliorum corporum poros ſubire poſsunt; Hebetum verò, quod non; Leve, quod ex athomorum moleculis æqualiter ſecundum ſuperficiem corporis diſpoſitis conſtat, inæqualiter verò Aſperum. Fluidum, cuius componentia ita ſunt inter ſe diſſociata, ut facilè à ſe ipſis ſeparentur; Durum ſeu firmum cuius partes rigidæ, ac inter ſe ita arctè cohærent, ut ægrè ad invicem divellantur. Humidum cuius componentia aliud tangendo corpus illi adærent, vel quia hamata ſunt, vel quia corporis tacti meatulos ſubire ſunt apta. Siccum quod hiſce particulis caret. Ariſtoteles malè confundit fluidum cum humido, firmumque cum ſicco cum multa ſint fluida, quæ noo humida, & multa dura, quæ non ſicca. Calida ſunt quorum athomi mole exiles, figura rotundæ, motu celertimæ ſunt. Calor in harum athomorum motu, qui quaſi vertiginis, & in ſe reciprocus, & reflexus eſt, conſiſtit: Caloris effectus diverſi ex diverſa corporis, quod ſubit contextura, ſic aquam liquefaciendo condenſat, ferrum rarefacit, lutum indurat, ceram emollit, homogenea, & hæterogenea modo diſgregat, modo congregat. Frigus vel in privatione caloris conſiſtit, vel in athomis, quæ motu vel figura diverſæ à caloris athomis ſunt. Antiperiſtaſim inter calorem, & frigus, ut fabuloſam reijcimus, cum experientia, ope Thermometri hermeticè obſignati, planè demonſtret in caveis, cryptiſque valdè in terram demiſſis calorem æſtivo magis, quàm hyberno tempore vigere, quamvis comparativè ad ſenſus noſtros oppoſitum appareat.

Cor-

Corpora ſonora ſunt quæ corpuſculis conſtant tremulo, ac unduloſo motu peragi aptis, ac tali motu auris tympanum percellentibus; ſonus in tali motu conſiſtit, qui duplex eſt, gravis, & acutus; gravis rariores ictus; acutus crebriores in tympanum impellit, qui ictus ſi tempore, & numero erunt æquales uniſonam conſonantiam edunt, ſi in proportione dupla Dyapaſon, ſi in tripla Dyapaſon diapente, ſi in quadrupla Byſdiapaſon, ſi in ſeſquialtera Dyapente, ſi in ſeſquitertia Diateſſeron, uno verbo, concuſſionum, ſeu ictuum in feriendo aurem convenientia aliqualis, harmoniam, symphoniam, aliaſque gratas edit conſonantias, quando verò huiuſmodi ictus concordes non ſunt, tonos diſſonos, ac auribus ingratos generant. Duplex Dyapente unum alteri proximè ſuccedens eſt in re muſica cavendum, ne fortaſſe ad gratiſſimos concentus alij ſubſequendo deteriores, omnis langueſcat attentio. Pueris vox acutior quàm adultis, quia illis Epiglottis minor eſt quàm iſtis. Ex chordis uniſonis una mota, alia & movetur non obſympathiam, ſed quod motus unius apprimè ad eundem aliam inveniat diſpoſitam. Noctu voces magis ſonoræ quàm die, quia tunc aer irrefractior ac minus agitatus. Sonus reflexus ſcilicèt Echo à directo nequit diſtingui, niſi à corpore reflectente ſit audiens aliquantiſper diſtans, immò quò remotior fuerit, maior erit perceptio, dummodo vox ſufficienter robuſta fuerit.

Lux non qualitas eſt, ſed tenuiſſimæ athomi perniciſſima celeritate, ac Sphærica figura præditæ à corpore lucido tranſmiſſæ, & in retinam oculi impingentes. Carteſius ingenioſiſſimè quidem in primi elementi corpuſculorum niſu, & prima præparatione ad motum à centro in circumferentiam lucem ſtatuit; at illa præparatio ad motum inintelligibilis eſt, quapropter Gaſſendi opinio magis arridet, quæ in effluvio prædictarum athomorum lucem ponit, & veluti rariſſimam flammulam adſtruit, quæ utpote refractionum, ac reflexionum legibus adſtricta, corpus ſe eſſe indicat. In reflexione incidentiæ angulus angulo reflexionis eſt æqualis, quia idem eſt motus ab axe per centrum gravitatis tranſeunte directus. Refractionis lucis cauſa non aliundè petenda videtur, quàm ex motu lucis proprio, qui in orbem exeri petit; hinc quando ex raro in denſum lux incidit ob denſitatem materiæ ad perpendicularem lineam deflectit, quando verò ex denſo in rarum, tunc magis libera, ac ſui iuris compos à perpendiculari recedit axe per centrum magnitudinis tranſeunte motum eius dirigente. Lumen in oculo perficitur, hinc poſſet lux eſſe in cubiculo, & tamen non videri, etiam ſi videns apertis oculis in cubiculo eſſet eodem. Diaphanum pervium eſt luci, quia poros continet quamplurimos ſecundùm rectam lineam diſpoſitos. Opacum verò invium eſt, quia tali diſpoſitione caret.

Coloris ratio non rebus, ſed oculis tantum ineſt, cum ſit motio quædam in oculi retinam facta à varia luminis reflexione, aut refractione; futile eſt, ac omnino vanum inter reales, ac apparentes colores diſcrimen; eadem eſt colorum ratio in Iride, Halone, Pavonis cauda, Columbæ plumis, ac in cæteris. Corpora aſpera, & ſuperficie inæqualia cum lu-

cem

cem integram ferè reflectant, candida apparent; quæ vero æqualia, ac cæcos inter meatus lucis radios recondunt, nigra videntur.

Sapida dicuntur ea, quibus inſunt quædam corpuſcula talis, vel talis configurationis, ut linguam, vel palatum impingentia tali, vel tali modo moveant. Sapor non qualitas eſt, ſed motus prædictus linguæ, vel palati à rei ſapidæ corpuſculis cauſatus, qui ſi linguam adſtringit acerbus, & auſterus eſt; ſi leniter laxat dulcis; ſi corrodit, & penetrat, ſalſus, & acidus; ſi pungit, & vellicat, acer; ſi abſtergit, ac quodamodo everrit amarus.

Odora ſunt corpuſcula, quæ nares proceſſuſque mamillares ſubeundo illos movent. Hinc odor in motu pariter conſiſtit, qui ſicuti ex diverſa eorumdem corpuſculorum configuratione, & organi contextura eſt varius, ita & odor.

Motus eſt migratio corporis de loco in locum. Corpora omnia gravia ſunt, ſed non æquè gravia. Gravitas eſt ipſa res gravis, motus tamen non creſcit iuxta proportionem gravitatis, hinc duo globi inæqualis molis, ſed eiuſdem materiæ æquiveloci motu deſcendunt. Deſcendentium motus eſt à terra per quoddam effluvium gravia ad ſe trahente; hic motus æquabiliter acceleratur, adeò ut quot fluunt momenta temporis, tot momenta ſeu celeritatis gradus acquirantur, & ſpatia decurſa ſint quadrata temporum; huius proportionis ratio phyſica ardua eſt, ſed aliqualis tamen poteſt afferri. Eadem proportione reciprocè accepta velocitas motus aſcendendo decreſcit, ac deſcendendo creſcit; & ex eadem pendulorum vibrationes oriuntur.

Motus non eſt diſtinctus à re movente, & mobili. Corpus ſemel motum, ſemper eſt motum niſi impediatur. Si corpus movens motu compoſito ex horizontali, & perpendiculari movetur, ſimili motu, & corpus motum moveri debet; hinc data hypotheſi quod terra circulariter moveretur lapides ſurſum perpendiculariter proiecti ad proijcientis pedes redirent, motuque ferè parabolico moverentur. In puncto reflexionis motus non datur quies. Gravia ubicumque gravitant. Magnetica vis trahendi ferrum quamvis valdè incognita, tamen non ad ſympaticam qualitatem eſt referenda, ſed potius in ſubſtantiali effluxu magnetis cum ferri pariter effluxu connubia ineunte conſtituenda videtur. Idem de Succini, ceræ obſignatoriæ, & aliorum corporum viribus electricis eſt dicendum.

Locus non in ultima ſuperficie corporis ambientis, ſed in ſpatio corporibus oppleri apto conſiſtit; hinc ſpatia imaginaria vera loca ſunt. Ablato quocunque motu adhuc tempus eſt, cum hoc non ſit aliud, quàm pura capacitas, ut in illa exerceatur motus, undè tempus realiter ab æternitate non diſtinguitur. In uno loco poſse eſſe duo corpora, & ſimul unum corpus in pluribus locis ſaltem Divinitus apertè demonſtrat ineffabile Altaris Sacramenti Myſterium. Vacuum non terret naturam, nec eius alterat ſtomachum, undè quæ in vacui fugam refunduntur, vel ab aeris preſſione tot experimentis comprobata, vel à vi corporum elaſtica procedunt. Spa-

tiola

tiola inania corporibus interſperſa indubitanter dantur; an verò Vacuum grandiuſculum, & coacervatum, vel in Torricelliano Barometro, vel in Machina Boyliana pneumatica detur, non eſt firmiter aſserendum; cum in rerum natura quædam corpuſcula ita tenuia, & ab alijs omninò ſoluta eſſe poſſint, quæ omnia corpora ſubire valeant per poros, quibus nullum corpus concreatum caret.

Mundum non ab æterno contra Ariſtotelem extitiſſe, nec ex turbulenta Athomorum concurſione contra Epicurum prodijſſe, ſed in æternitate à Summi Opificis provida Sapientia, infinitaque bonitate ſuam habuiſse originem fide inconcuſsa tenemus, ac rationibus conſonum eſſe affirmamus. In huius Mundi centro terram eſſe non certum eſt; immò non deſuat coniecturæ oppoſitum ſuadentes. Inter Syſtemata celebriora ſunt Ptolemaicum, Thiconicum, & Copernicanum. Primum experientiæ repugnat, cum Vener, & Mercurius non Terræ, ſed Soli ſint concentrici. Thiconicum defendendum, ac omninò quamvis arduum in Decreti reverentiam propugnandum. Copernicanum planius quidem, & concinnius, ſed tamen refutandum, quamvis ſub aliqua hypotheſi tueri queat; hinc dicimis iuxta Thiconis Syſtema præſentem Mundum eſſe conſtructum, ſed tamen Deum potentem eſſe alium conſtruere, qui iuxta Copernicanam hypoteſim eſſet, & ſecundùm omnia Phenomena motuum Cæleſtium, corporumque ſublunarium huic præſenti omninò ſimilis appareret, licèt in hoc ſtet terra, & ſol moveatur, in illo verò ſole ſtante, terra moveretur. Terræ ſi motus competeret inter Planetas eſſet annumeranda, cum ijſdem Planetarum cæterorum phaſibus præter motum ſubſit. Cœli fluidi ſunt, ac ſpirabiles, & generationis, & corruptionis capaces. Fixarum ſtellarum ſcintillatio, ac vegetior lux ipſas proprio fulgore lucere oſtendunt Planetæ à Sole ſibi vindicant lucem. Ecclipſis ſolaris nobis apparere poteſt naturaliter, licèt inter Solem, & oculos noſtros Luna non ſit directè interpoſita Sphæra ignis in Concavo Lunæ eſt Ariſtotelis ſomnium, & ex falſa ſuppoſitione deductum.

F I N I S.

99 958517

Digitized by Google

1060.3
2

Digitized by Google

Digitized by Google

1060-3

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google